Opuscula

ZODIACUS SOLIS SAPIENTIÆ D. THOMAS AQUINAS DOCTOR ANGELICUS,

Recurrente annua suæ Festivitatis die,
In Basilica Sanctissimæ TRINITATIS
Ordinis Prædicatorum
Celeberrimi Conventûs Cracoviensis,
Oratoriô Stylô,
Spectatori Magnorum Hospitum oculo,
Per

M. PETRUM CASIMIRUM GOSZKOWSKI,
Philosophiæ Doctorem, In Collegio Novoduorsciano Dialectices Professorem, Contubernij Geloniani Seniorem.

DEMONSTRATUS.

Annô quô.
PhasMa DeCor steLLæ reX Vasto præbVIt orbI.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Stemma

ILLUSTRISSIMÆ

JAKLINSCIORUM Domûs



Si numeras trinas præcelsi Stemmatis HASTAS,
Terminus eſt illis ſummus honoris apex.
Abſentem poſcis quis promptis militet Heros?
His pugnant de ſe, gloria, fama, decus.
Exquirant varij rationes laudis acutas,
JAKLINIÆ Domui, laus, domi acumen adeſt.

ILLVSTRI
ac
MAGNIFICO DOMINO,
D. ANDREÆ THOMÆ
In JASIENNA
JAKLINSKI,
VICECAPITANEO & JUDICI
DUCATUUM OSVIECIMENSIS & ZATORIENSIS,

Domino ac Mecænati Amplissimo.

SUccinctum suô Zodiacô Cœlum Sapientiæ, ad latus suum Arma Tua habere prætendit. Illustris ac Magnifice Domine. *THOMAS imò eruditi certaminis robur, summa conflictantium vis, Hastis Tuis pro Tuæ Gentis gloriâ certare non recusat. Fortem Illum spectavit Orbis, nunc nec inermem* Tuo *decore veneretur. Strinxit Ille ingènij aciem, contra adversa Hæresum castra evaginato mentis suæ acumine, etiam Domûs* Tuæ *hastiludio pro Aris contra Orcum optimè pugnaturus. Non soli Arcitenenti velivolum vibrare telum in hoc contingit Zodiaco, conceditur & hæroa manui fortiùs hastas adversùs quemvis impetum intorque-*

re. Zodiacus hic Campus est, in quo & Arti & Marti statio non neganda. Possunt in Illo & erudito madentes sudore frontes spatiari & ponderosum casside caput hastæ innixum pro Patria ac libertate vigilare. Meritò Te *Tuamq; gratiam in cæleste hoc invito spatium, cui non à parvis Astris Lucina, nec ab erranti siderum grege derivatus contigit animus. Utrumq; enim si expendero Cælum videbor spectandum introducere. Ad supremum Iovem parabo iter;* si Inclytissimæ Gentis Tuæ *initia exploravero. Per gradus tamen tot laudum, quot Personarum Majorum Tuorum sternitur Appia; non bigis factorum trita, sed mille operibus dignissimis instaurata. Antecessit* Te *longo ordine prolixa Atavorum series, ita tamen, ut Tu ibi steteris, quò virtus Illorum collimavit. Temporum intervallo solùm divisus es à Majoribus, non virtute. Adoravit præterlabens annorum tractus* Illustrem ac Magnificum TOBIAM IAKLINSKI Burgrabium Sandomiriensem Avum Tuum, *Virum cui non unius propugnaculi Poloniæ tutela, sed gravior munerum moles, tutè poterat demandari, verum Illi esse fortem potiùs, quàm dici complacuit. Quive uni Arci cum gloria præfuit, integram libertatem, aureo æquam ponderi, suppar fuerat conservare. Hæc enim* Illustrium IAKLINSCIORVM *indoles non sibi esse, sed prodesse pluribus; privatam rem minori, Rempublicam maximò pretiò æstimare. Tanto non noxa Parenti successit Heros* Illustris ac Magnificus D. PETRVS Rothmagister Palatinatûs Crac: Genitor Tuus, *Hic in armata victricibus Hastis natus Domo, Bellonæ ulnis excipi debebat, nec aliam primò intueri lucem, nisi quàm torvò superciliò, horrendus bellorum motor succenderet Gradivus. Et meruit innutrito bellis animo Palatinatûs exercitus, suo committi regimini, quive totum se Marti castrisq; addixit, facilè ad nutum suum obsequentem conspexit militem. Dexteritatem hanc promptamq; ad Patriæ obsequium, nec faciè frangendam* Illustris PETRI, PATRIS Tui *mentem, cordi sibi fuisse breve Poloniæ sidus* Serenissimus MICHAEL I. Poloniarum REX Invictissimus *attestatus, cui si Regiorum Annorum plenilunium fata concessissent, Eum ad altius debiti sibi honoris subselli-*

um-

um evexisset. Omni virtute beatus, in commodum ac ornamentum Regni Ternionem Gratiosum Te *inquam cum Fratribus Tuis Æstimatissimus reliquit, ætati huic adorandum.* Magnificus IOANNES Frater Tuus *& ob id præter cætera laudatissima factorum suorum documenta gratiosus, quòd Magnificis Filijs* FRANCISCO *&* STEPHANO, *omni eruditionis gemma pretiosiore Domũ suam coronaverit. Amantissimo alteri Fratri* Tuo IGNATIO *nulla soboles, sed fæcunda operum vita. Quidquid gravi viro condignè gerendum erat perfecit, in se compendium laudis continens, in Filios quibus caruit non diffudit. Tu postremò non ultimus affectu Patri Filius accessisti, cujus dotes adorare potiùs fronte, quàm manu exprimere decuisset. Pro Ducatuum Osviecimensis & Zatoriensis commodo, aureum in Comitijs publicisq́, Congressibus Os, Principales requiris laudes. Linguâ facundus omnibus venis ad gustum, nec à* Te *quenquam avertis, nisi qui intra veri limites teneri exhorrescit. Noverat & Polona Themis justum à* Te, *cùm ad Regni Tribunal Iudex Deputatus exactè Iuris Patrij regulas conservâsti. In illius lance pondus Tuum Regnum vidit, & quæ sententijs Tuis insit gravitas, ponderavit. Inde prima in Orbe Polono nomina* Te *pro æstimationis meta posuère. Te stringunt intimi affectus Illi vinculis, quos in libero Regno eminentiores contemplamur. Vix tamen alijs cedit sui pectoris erga* Te *promptitudine* Illustrissimus & Excellentissimus D. FRANCISCVS Comes in Zywiec & Pieskowa Skała WIELOPOLSKI Palatinus Siradiensis, Cracoviensis &c. &c. Capitaneus, *ad sui honoris gradum etiam hoc punctum addit, quod* Te *æstimet, ad Culmen, hoc fastigium, quòd affectu complectatur. Sed & ad Lydium* Illustrissimi ADAMI de Lubowca in Wieruszyce LVBOWIECKI Ducatuum Osviecimensis & Zatoriensis, & Iadovnicensis Capitanei *lapidem, virtus* Tua *ita probari meruit, ut meritò nunc provocaretur ad majora. Accedit Honori* Tuo, *æstimata plurium Illustrissimarum Familiarum affinitas, gloriosa Domûs* Tuæ *cum alijs contiguitas. Sufficit pro mille alijs Sacra Themidis decus, eruditionis prototypon,*

Apollinis quondam Academici Biezanovij *æstimator*, Illuſtris olim & Magnificus D. ANDREAS à Zydowo ZYDOWSKI, Palatinatûs Cracovienſis Vexillifer, Avunculus Tuus, *cujus dicta, ſcripta, facta legentes* Te *in Ipſo videre, æſtimare, venari gaudent, & efficiunt. Quid ulteriùs* à DEMBINSCIORVM *Viragine non pulchrum*, à PRZEREMBSCIORVM *Pede gloriæ non propinquum.* Illuſtriſſimos POREMBSCIOS, CHWALIBOGIOS, PIEGŁOVIOS, DROHOJOWSCIOS, CHLEVICCIOS, GAWRONSCIOS, DRZEWIECCIOS, *& alios quos hæc pagina capere nequit, uti Confiniô Sangvinis, ita propinquitate laudum junctos conſpicis. Ab Illuſtriſſima* STAROWIEYSCIORVM Domo, *Tui & Magnarum Virtutum Conſortem* SVSANNAM *tenuitas foliorum vix ſuſcipit, literis tamen his notari debuit, in qua rariùs ſuo ſexui impertita viget eruditio. Connexa Parentibus Filiorum nomina, in ſpem Patriæ in arena literariâ ſuccreſcentia*, IOSEPHVS & ALBERTVS *prodeunt. Prior Philoſophico curſu Olympia profectus attingit; quod ſe Atletam erudito certamine dignum gerat, publica Philoſophicarum Theſium concertatio demonſtravit. Alteri gloria eſt literario conatu mentem altiùs elevare, utriq; decus, vivere in Parentum ſolatium. Hæc certè motiva ſunt quibus Zodiacum meum manibus Tuis inclinem. Cùm enim Illuſtriſſimi Generis nitori junctam eruditionem admiror, ignoro cur THOMAS Aquinaticæ gemma Familiæ, Eruditorum norma, Cæli Sapientiæ Zodiacus à Tuo Nomine decus novum non prætendat. Imò hoc eſt in Votis Phœbo huic, ut non alibi appareat, quàm ad Tui Oſtium, literis, literatis, & literarum cultoribus apertiſſimum. Pande igitur clientalibus deſiderijs patentem ſemper aditum, ut qui favoribus Tuis Ampliſſimis glorior, etiam Zodiaco meo Domi Tuæ Cælum gratiarum inveniam.*

Illuſtris ac Magnificæ
Dominationis Veſtræ.

Addictiſſimus Cliens & Servus
Author Operis.

ORATIO.

ABysſus abyſſum invocat A A. imò abyſſalis THOMÆ notatio, nihil non profundum, nihil à mentibus humanis non metaphoricum, ſubtilitati Cæleſtium Intelligentiarum nihil improprium, intra ſua elogia admiratori animo trutinandum, & impatienti Phæbei fulgoris palpebræ videndum exponit. Quæ enim Rhetorica ad THOMAM gradatio? niſi forſan redivivi Curtij alacritas, ut in tortuoſo Sapientiæ Eurippo, in immenſo Cryſtallinarum virtutum Oceano, in aperta Sanctitatis odore hiante Abyſſo ſorbeatur. THOMAS, thema Oratorum eſt, quod ſemper principium centuriatæ laudis, nunquam finem declarat. Exordium habet, ſed nonniſi à Superabundanti, cujus Diviſio, totum elogij; Opinio, laudis intaminatæ veritas; Adjuncta, felix ac beata devotarum mentium operatio. Videre eſt in THOMA ſacrum veſtitûs Candorem, vel ad laudes ejus exalbeſcere, vel intra indignos Thomiſtici plauſus Encomiaſtes candidatum eſſe, vel gemmeos ad ſuam præſtantiam requiri dicendi apparatus demandantem. Religioſæ Dominici Sanctitatis nomen, ſervire ſibi pro Domo ſua perorandi modos, ſi non manifeſtat, indicat ſapientibus. Compar ne Tanto Doctori humanum elogium? ſub quo Mo-

trices Cælorum Intelligentiæ Diſcipulas agunt, eò feliciores; quò magni Profeſſoris ſanctioribus præceptis inſtruuntur. Nec veſtigium relinquunt tenues Tulliorum fontes, ſi in Aquinaticum etymum influant, aut Gangeticis Celſiſſimæ Aquinatum Familiæ fluctibus comparentur. Cæcutiunt, an potiùs atram patiuntur eclipſim figurata Rhetorum lumina, ad ardentem Dominici Catuli facem, quæ Diogeni tradenda promittitur, ut Oratorem etiam meridiante ſole, Thomiſtico encomio ſufficientem adinveniat. Septima Menſis dies, magis ab inchoato opere quieſcere jubet, quàm ad jejunales ferias deficiente ſpiritu protenſas ulterioris ſermonis thaſes efformare. Ruunt velut agmine facto plures impedimenti circumſtantiæ, quæ debilem animum confundunt, tenues debilitant vires, oculos rapiunt in ſtuporem. Quis enim coram Tullio Orator? quis coram Sacro Prædicatorum Ordine diſertus? qui omni prædicamento major, magnis innutritus ſplendoribus, non aliud prædicatum cum non diſpari ſubjecto habet, niſi univerſalem affirmativam ſummæ æſtimationis propoſitionem, etiam à mordacibus Zoilis concedendam. Verùm adeſt quid amplius quod admiratricem everberat pupillam, ſcrutatorem Majeſtatis animum opprimit gloriâ, & in ſuo ſplendore lucidiſſimo tenebras cauſat craſſiores. Quod ſi ſcire vultis? Phæbus in pectore THOMÆ. O ſtupendum increatæ naturæ opificium! O novam contra Numina Gigantonomachiam! forſan THOMAS armatus Virtutum ſuppetijs Cælum expugnavit, & in ſpolium & decus, Solem in pectus traxit? Forſan alter Ioſue ad vincenda Hæreſeos monſtra in corde Soli fixit ſtationem? Forſan novum Sapientiæ facturus orbem Phæbum portat, ut ab Illo erratica Sidera, verum fidei, Sanctitatis, virtutis lumen mutuentur. Ita eſt AA. Titanem quem in THOMA videtis? credite eſſe Sapientiæ, nullibiq; ſuos regulares motus, niſi in pectore ejus peragentem, & Ipſum THOMAM ZODIACVM Solis Sapientiæ advertetis. Talem Te Vniverſus adorabit Orbis Doctor Diviniſſime, ſi

um-

umbratili facundiæ Phæbeos radios gratiæ & favoris insperges. Et vestra attentio AA. veritatem propositi acutiori observabit tubo, si oriente in suo Zodiaco Sole Sapientiæ, se se diligentiùs exporriget.

Mysticum Sapientiæ Orbem, radiantibus non orbum astris, sereno Planetarum ornatum aspectu, vestris obtutibus præsentate. Habet affinem Cælo splendorem Sapientia, quô inde suam sumpsisse jactet originem, vel sui Possessores in formam Siderum abire erudiat. Alios veriores crediderim Saturnos, quorum aureum caput, aureo imbre ditiores inferioribus communicando influentias, cuivis sæculo grande impertitur pondus & valorem. Alios sacratiores Ioves veneramur, ex quorum prope Divinis cerebellis, non unam Palladem prodijsse experimur. Plerosq; Martes crederes, si eosdem in acie & arena literaria cum decumanis errorum catervis dimicantes, aut hostem ignorantiæ in triumphum ducentes, spectares. Quid sunt magna Oratorum subjecta? si non facundi Mercurij, quorum fæcunda eloquentia & docendo movet, & movendo delectat. Videmus & Lunas, quarum plenitudinem perfecta causat eruditio. Habet illustris Sapientiæ Orbis & erratica Sidera, quibus scintillare tantum, non perfectè lucere, est concessum. Sed absit hæc observare, & explanatorem oculum istis occupari, Principe Planetarum Sole in pectore THOMÆ prælucente. Solus THOMAS, Sol est Sapientiæ, à quo omne lumen verum procedit, talisq; illustratis mentibus appareret, si non magis Zodiacus probaretur. Quod si Zodiacum duodecem stellantem signis Mathematica docet observatio, & hæc cum longe svaviori aspectu, benigniori influxu in THOMA spectabuntur. Primus Aries pro sua pugnare deberet statione, sed Aquinaticis emersus aquis, nihil turbidum relinquens, totus niveus, licet Serenissimorum Regum Siciliæ, Celsissimorum Ducum Aragoniæ purpureo tinctus Sangvine innocentiam spirat, virtutes in sui amorem trahit, & cornuto probare argumento intendit, quòd THOMAS, non alio

titulo decorandus. Plura forsitan in Illo signa spectare vultis? parcite ordini inverso, cum omnibus tamen Zodiacum THOMAM spectaturi. Iam Geminos necdum bene incepto ætatis Vere in Nostro Zodiaco observate; quorum nomina, virtus & Sapientia, an veriùs utraq; THOMAS est, quæ cum in magno Pusione dignosci nequiret, junctim stetit, veritati propositionis non dissimilis. Magnæ licet à natura, ambæ tamen ad tenellum Infantem THOMAM puerascunt, suis delicijs, decoriq; natum præscientes. Dubium erat, an THOMAS per virtutem, an virtus per THOMAM crevit; nisi hæc maxima cum fida sui amica Sapientia in pusillis artubus arctaretur. Si reptantem per gradus perfectionis vidisses THOMAM, inesse huic Zodiaco Cancrum crederes; sed nonnisi à vitio, aut exigua labe retrogradum & tergiversantem. Quid illa signi Virginis Illibatæ in terra jacentis à Pusione THOMA assumptio? si non evidens Zodiaci declaratio. Rem sub cortina latentem ex protensa in manibus Infantis THOMÆ schedula, addiscamus. Pendens adhuc ab ubere lactantis Nutricis Sacer Pusio, vix salutare MARIÆ nomen, cum Angelica salutatione chartulæ impressum humi advertit, totus proruit, imò infantilibus retractus fascijs per vim inclinatur, ut Electa ut Sol Maria, futurum Zodiacum visitaret, Illeq; convexam sui formam efficeret. Et bene: Mare Gratiarum MARIA, delicatum THOMÆ subintrat pectusculum, Solis Sapientiæ ex illo ortum sereniorem portendens. Nonne Zodiacus THOMAS est? qui Terram benedictam sacro suo ambitu comprehendit. Si olim amictam Sole Virginem Apocalypticus adnotavit Ioannes, THOMAS probavit, dum suum Solem in signo Virginis collocaret. Arcum fœderis si libet Virginem Sanctissimam nominare, habet quò se in Zodiaco extendat, pacem inter monstra terræ (Hæresiarchas suppono) & cælo conterminam fidei Sacræ veritatem, ex reflexione Thomistici Phœbi radiorum designans. Paucis curiositas sit contenta: ad Marianum Ave, Sol cùm THOMA

ste-

ſtetit, donec offenſi Sancto huic Nomini hoſtes devincantur. Tandem Infantiles annos extra quos cum maturitate Angelici ingenij fuiſſe obſervatus THOMAS, ſe ipſo major abſolvens, Caſſinenſi committitur Parnaſſo, ut ſedulô literarum exercitiô, novis Matheſi eruditæ uſitatioribus ſignis, pingeretur. Nec immeritò; nihil humile poſthac THOMAS futurus, in excelſis quoq; montium jugis locari debuerat; propinquum aſtris Benedicti aſcendit montem, ut firmamentum Cælorum in ſuum THOMAM aſſumeret decorem. Zodiacum Sacrum (ſi aliter eremus eſt) ingreſſus, ſua in illo ſanctitatis, Virtutis ſigna diſpoſiturus. Auxit Benedicti ſpinas ſuo acumine THOMAS cùm Roſarum ſilentij impatiens, nondum abſoluto luſtro, arcana cælorum luſtrat, & manifeſtè revelat, ſæpius erotheſim inſtituens; *Quid eſt DEUS?* O; magnam exigui corpore Puſionis quæſtionem! O quærendam mille ſæculis Infantiam! necdum THOMAS loqui perfectè didicit, & jam inde incipit; ubi magna Ingenia deficiendo obmuteſcunt. Attende hic Cæli delicium, Ver orbis florentiſſimum, Vniverſi decus, Iuventus gratiſſima, & ſub Angelo, an veriùs Angelico Doctore diſce, ſcire DEVM ante omnia, ſummam eſſe perfectionem. Quem ſi definis; quod authorem non habeat, omnium Author, Antiquiſſimus careat origine, Æternus non videat finem, Infinitus nihil acquirat, Immutabilis nihil amittat, poſt omnia poſſit plura; DEVS ſit id, quô nihil melius, primam ſub THOMA audis lectionem, ad cujus ſpeculationem piam elevatura mentem, non in caſſum Caſſinenſes Montes Sanctitatis magnificentiâ ipſi Cælo propinqua Pergama intuere, commodiùs ex Illis Zodiacum Solis Sapientiæ THOMAM ſpectatura. Conſiſtit in Neopolitano Helicone ſeu in Neoſanctiori Muſarum Polo, Soli par Apollini THOMAS, cui liberè titulum reſignârat, ut cum Novennario Muſarum Choro Zodiacus coleretur. Attolluntur beatiori faſtu Caſſiniani vertices, ſuperbientes illo gaudere Phæbo, quo agitante caleſcentes Tauris nomen eripient, ut ad Sanctum

Zodiacum ſaltim æquivocè regulentur. Habent enim habent quô ſuperbiant; vix THOMAS cum Sole Sapientiæ in auge collium amplæ Campaniæ ſtetit, illicò cum perfectionis exorſus meridie, nihil obſcurum in illis reliquit, niſi quòd non clariùs Magiſter quàm Diſcipulus cerneretur. Minores ſcientiarum non paſſus ſtellas, aliaq; infra ſuam Majeſtatem artium phænomena demiſit, Thomiſtici Titanis illuſtriores lumine veritatis comas Orbi accendens Vniverſo. Satis dicere THOMAM humaniora an humana ſtudia non tractâſſe, qui Angelorum æmulus, cuncta ſupra hos cogitavit, quorum ſummus Doctor erat audiendus. Perfectum ſatis in ſcientiarum rudimentis profectum fatemur THOMÆ, cum circa primum in orbem literarium ortum in Apogæo ſtantem ſpectamus. Nec ad infima deſcenderemus, ni etiam Myſtico Zodiaco ſuos ineſſe gradus ad Solis Sapientiæ decurſum requiſitos notaremus; ita, ut ipſæ literarum columnæ loqui, muti Magiſtri Memnones (libros intelligo) diſcurrere Solis Sapientiæ in Zodiaco THOMA exiſtentis radijs tacti audirentur. Vtq, vehemens ſenſibile ſenſum lædere probaret, nec non Zodiacus evidentiùs appareret, intra Sacras Dominicanæ vitæ ſeſe demittit umbras. Et bene; non poterant in illo clariùs ampliora ſigna notari, niſi mundani ſplendoris in occaſu. Adeſte curioſi ſpeculatores & in Terra conſiſtere Zodiacũ non poſſe objcite, jam Ille in Cælo fulget, quod ſi ſcire vultis? Sacra Prædicatorum, digniſſimis Illuſtris ſubjectis eſt Religio; quæ tunc numerabitis cum fidiſſimũ ſtellarũ calculum exponetis. Potiùs cavete ne Zodiacus THOMAS Solis perfectæ Sapientiæ ingreſſum ſuſcipiens, in Dominici caniculam aureos reflectat radios, ad cauſandam in Veſtris cerebellis priùs vertiginem, quàm horum eminentiæ cognitionem. Vacandum magis grandi elogiorum meſſe veniente. Intra terreſtres Angelos locatur THOMAS, Motrices Cælorum Intelligentias ſibi aſſiſtere requirens. Candido Sacratiſſimi Ordinis veſtitur colore, exorituram

turam tempestatem ex Aquinatici Maris turbine, minarum nubeculas contra splendorem suum causante svaviori patientiæ malatia serenaturus. Hoc dum sperat, experitur. Vix enim movente Majorum mandato signum Sanctæ ostentat obedientiæ, florenti niveis lilijs Galliæ, Ver in agno innocentiæ aperire intendit, tristem Autumnum, urgente Materni furoris Aquilone, obnubilato squallidi carceris antro, suô serenô, cogitur præsentare. Sed ah inanem Theodoræ insipientiam! quid atra Soli nocent obstacula? quid Zodiaco nocivi enorme Medusæ infert caput! habet fortem firmi propositi Leonem, & acutum cornutis rationibus Capricornum; quibus insani amoris objecta retorquebit. Accendit forsan Illustris Familia natales ceras, illasq; in Zodiaco magis sereniùsve eminere sperans proponit, sed hæ majore extinctæ jubare locum in Illo non inveniunt. Pollicetur à Domesticis Purpuris mutuato rubicone sublimiores dignitatum depingere sphæras, sed hic magis religiosum candorem adamavit; immensa divitiarum accumulat pondera, sed hæc non ad Libram Sanctioris Zodiaci statuenda. Quid ultra? jam cognovit quid sit THOMAS Theodora, & Virginis intactæ pridem in Illo suum positum esse signum oblita, fædam Venerem opponit, saltim aliquem aspectum tentaturam. Falleris scelesta intentiò procul est à Zodiaco Venus, quam si admoves, subitô erumpente tonitru spectabis profligatam. Horridum Cometam in Virginitatis exitium exposuisti, certè hic fatuo ardens igne, radijs in pænam Thomistici Solis indignus, titione extingvetur. Armatum in Innocentiam Cupidinem Sanctior Zodiacus non admisit, suo Arcitenente contentus devotum pectus dulci amoris Divini telo vulnerante. Post tot fraterni furoris stridores, post varios sævientium minarum reboatus, post densum maternarum lachrymarum imbrem, prosilijt in Venerem fulmen, ut novum aperiret serenum, & post nubila Solem Sapientiæ redderet clariorem. Necdum enim ex subterraneo umbrarum Dominio

exoriens, & jam perfectum veritati accendit meridiem, ut THOMAM ex Angelorum ministerio suum esse Zodiacum indigitet. Descendunt hi Temperatam Zodiaco applicantes Zonam, ne in hoc Eruditionis persistens Titan, sub sua plaga mansuros Idiotas nimio subtilitatis terreat ardore, sed facilitatis cum difficultate in Schola Thomistica alliciat temperamento. Officia sua relinquentes Cælestes Intelligentiæ turmatim properant, THOMAM sibi an se THOMÆ accingunt, singulari sese alligando, operi cuncta ad mentem THOMÆ, an potius nihil contra novi Zodiaci situm moturæ. Pretioso Angelorum nexu bene præcingitur THOMAS, totam Ecclesiæ molem præstantior Atlas bajulaturus, aut literarium Orbem ut stet firmiùs præcincturus. Tandem in Scientiarum Empireo, hoc est Parisijs suam extendit magnitudinem, cui selecto Peripato tantùm splendoris addidit, quantùm ad illustrationem umbrarum animorum erat necesse; in hoc nonnisi tenebras spargere visus, quòd cum omnia sciret, nesciri delegit, non ignarus, etiam Soli vesanos indignari animos, maculas imprimi & serenissimum ejus jubar, à minutissimis nubeculis obumbrari. Sed corrige quæso crassum Discipulorum errorem Magne Professor THOMÆ, Beate Alberte, Bovem dicere intendunt? Taurum inesse Zodiaco nescientes: imo ut clariùs doceas, distingve; si montem volunt ut propius Zodiacum THOMAM admirentur; concede, si imparem jugo Christi, vel non ex numero Apocalypticorum animalium Currûs Gloriæ DEI esse; firmissime nega. Bos est THOMAS sed intonaturus boatu suo vocale in totum orbem Classicum, & arenam literariam ad exuberantem scientiarum messem exculturus, quem si LVCAS vidisset non ad pedes illum locaret, sed sibi compararet. Mugite ad placitum bovino contra THOMAM nomine fratres, quos id forsan maximè pungit, quòd hic Bos nulli vestrum pari adjungatur. Credite Livio Annibalem boum cornibus accensas alligâsse faces, atq; sic in frontem Romani exercitûs insiluisse

isse, ut ex acie Martis opprobriô relictô cedere cogeretur. Accensa Vestri Bovis cornibus Dominici ardens tæda pro Roma stabit,& pavorem imò fugam Hæresum catervis inuret, & triumphales militanti Ecclesiæ ignes accendet. Bovem in Iovem mutatum verisimilis fingat Pòësis, illumq; pro Europes per immensum Mare vecturâ inter Astra credat relatum. Et THOMAS talis Bos est, qui non Europen, sed totam Christiani Orbis figuram à naufragio tutissimam reddens, non Taurus, sed Zodiacus meruit nuncupari. Quodsi mutum arguitis, loquitur pro Ipso renatus Salomon Albertus. *Tu mihi non respondentis sed Doctoris locum obtinere videris.* Nec aliter est mirandorum Capitum Sapientissime Plasmator, non respondet Condiscipulis THOMAS, quia quid sit nesciunt, docere paratus; sed ut priùs cornuta formare dilemmata sciant, requirit. Quàm evidentissime Lutetiæ etymum Sol in D. persistens Zodiaco depuraverit, facilis illatio, cùm Theologicâ redimitus laureâ totus Serenissimus vanos ab erroneis Capitibus extrusit humores, & veræ doctrinæ induxerit serenum. Gaudet Sorbonica Pallas Diviniori Aristotele THOMA, cujus Euripus Aquinaticis eruditionis exundans fontibus, citiùs capit, quàm capitur, adeo; ut omnia sciat, qui THOMAM intelligat. Vnde illa intima Divinitatis arcana Angelicis mentibus raro manifesta, humanis semper abstrusa in THOMA? si non ex propiori summæ Beatorum Sedis Zodiaco: quem extra se multoties fuisse raptum, Cælestibus manibus elevatum admirandæ vitæ lectio informat. Accessêre ad hunc Zodiacum primæ magnitudinis sidera, Principes Apostolorum, claviger PETRVS, & Doctor Gentium PAVLVS; qui certè suum duodenum numerum cum alijs in Illo situassent, ni omnibus Sapientiæ distinctum Signis offendissent. Tædebat forsan & in Cælo PETRVM absq; THOMA, citiùs accurrit; ut suæ Ecclesiæ orbem Zodiaco muniat & præcingat, quod non aliter evenisse affirmabitur, si buccinantis Buceri audietur acclamatio;

Tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam! Frustra, frustra Stygij Gigantes contra Cælum Romanæ veritatis assurgitis! Zodiacô fortissimè munitum est, & districto PAVLI acinace obarmatum. Cælestibus præcepta dantibus & consulentibus Magistris, nihil in suis operibus, quæ profunda humilitas opuscula nominavit, terrestre scripsit, sed quod summo Authori placeret, quod perfectissimus Magister de Crucis Cathedra approbaret: *Bene scripsisti de me THOMA; quam ergo recipies pro laboribus mercedem?* Quasi nova Ipsius Numinis de THOMA esset quæstio, vel nullum condignum pro laboribus ejus præmium, nisi quod ipse elegisset. O dulce patientis Verbi elogium! O laus humanis mentibus non concessa! O Bene optimum! quod summum Bonum meruit Authorem & Censorem, tot oribus, quot vulneribus disertissimum. Nec alicui alteri Zodiacus lustrandus erat, nisi Soli Sapientiæ, qui se talem sciens, demisso Vertice Illum invitat respondens: *Non aliam, nisi Te Domine.* Ponderate nunc summum summæ Thomisticæ pretium, quod supremus Arbiter in Crucis statera ponderavit. Marcescunt ad Theologica THOMÆ folia exquisiti Verborum flores, quibus purpurea in Cruce ROSA, Flos Nazarenus cedit in elogium. Approbati ab Increato Censore Thomistici labores, honoribus de se concursuris accuunt orexim; ut suum splendorem in Zodiaco possint præsentare. Ast inane Neapolitanæ Tiaræ desiderium, parva est ad Istius tegendum caput; in cujus erudito pectore Sol recubuit Sapientiæ. Suscipe quæso Doctor Divinissime purpuram, sereniorem Tui sideris ortum in Cælo portendentem; non absq; erubescentiæ signo respondentem audite THOMAM, fatuos Zodiacus non admittit ignes, nec citò transeuntes suscipit splendores, contentus fonte luminum Sole, à quo cuncta honorum insignia illustrationem mutuantur. Mundanos postposuit Gradus, ut cælestes ascenderet, & in Novam Fossam suum occidere Solem cum vita passus, ut clariùs in Majores sphæras ex profundo

do in altum oriretur. Ipsum Cælum ad THOMAM crediderim descensurum fore, nisi THOMAS illud prævenisset. Et licet à nobis Doctor Angelice, Sapientiæ & Gratiæ Abysse, Sanctior Solis Sapientiæ Zodiace recesseris, sequimur Te, cùm etiam in Cælis præsens totum orbem doctrinâ & Sapientiâ illumines, & meliores ad Sanctitatis & eruditionis esse, causes influxus. Dirigit ad Tuum Titanem Sarmatica Ales irretortam pupillam, & ut eandem Tui efficacissimi Intercessionis radij ab infortuniorum maculis in ævum depurare possint, Te laudando exposcit. Nòn alia luce nisi Tua illustratæ Academiæ umbræ exambiunt, ut nullam patiaris illis induci eclipsim, sed ut licet quartô sæculô gravis, Discipulam tamẽ sub Te agere non erubescens, Alma Mater Vniversitas ducat permultos sine nube dies, donec longævi volvent Titana labores. Verùm quod hactenus dixi, hoc Tuæ laudis est argumentum Sacratissime Prædicatorum Ordo, quam ille à Te distingvit, qui Vestrum THOMAM negat, qui illum in Singulis non videt, & Singulos in THOMA non veneratur. Etsi Angelicum Doctorem colimus, Vos Angelos terrestres fatemur, an potiùs Cælorum Sapientiæ motrices Intelligentias. Quid illa Sacrorum Conciliorum decisio? si non labor Thomistarum. Vnde illud ad pellendas errorum noctes lumen! nisi ab Ardente amoris Divini Zelo Dominici face; quæ quoties sparsit radios, toties Augustis summæ Sedis Coronis, Cardinalium Purpuris, Tiaris & Doctoralibus Mitris, splendorem adauxit. Quare Prædicatores estis, mihi silentij materiam datis, lumina Rethorica extingvitis S. Patris Vestri Cynosura prælucente, & Sole Sapientiæ in Zodiaco THOMA meridiem absolvente qualem esse

DIXI.

